

V C
2747



h. Q. 2. 2 (54)

4
Vc
2747

Oratio

HABITA LIPSIAE

IN SOLENNI CELEBRATIONE

ANNIVERSARIAE MEMORIAE

DICATAE ILLVSTRISSIMO ATQUE

fortiss: Heroi ac Principi MAURICIO Duci

Saxon: Electori, &c. HEINRICHI filio,

Illustrissimi Princ: Elect: Ducis Saxon:

AVGVSTI, fratri:

in qua

PARIA ILLVSTRISSIMORVM FRA-

trum merita in conseruata Patria ac Republica

demonstrantur ac praedicantur,

AVTORE

Michaële Barth

Annæbergensi.



LIPSIAE

IOHANNES RHAMBA

EXCVDEBAT

ANNO

M. D. LXVII.

No. 38.

INSIGNIA DVCAIVSET



SEPTENVIRATVS SAXONICI.


EPIGRAMMA.

Quam benè cum Gladijs Rutacea iuncta corona est,
Enses bella notant, ocia ferta notant.
Ensiferi nouere Duces belliq; labores,
Aurata & qua pax digna sit arte coli.
Ensiferi decreta gerunt pro CAESARE bella,
Ornat Victoris læta corona caput.

ALIVD.

Ensifero fera turba Duci fera bella parabat,
Clamq; ferus serpens struxerat insidias.
Arripit ille suos Gladios Rutamq; , duobus
Auxilijs istis dispulit omne malum.
Hostibus aduersi Gladij sunt, Ruta uenenis,
Hostem Ensis strictus, Ruta uenena necat.
O Gladij æternum rutilent, & Ruta uirescat,
Nec ferrugo illos occupet, hanc nec hyems.

M. Barth.f.



ILLVSTRISSIMO
Principi sacri Romani Imper.

ARCHIMARSCHALLO

ATQVE ELECTORI AVGVSTO

Duci Saxoniae, Lantgrauio Thurin-

giae, Marchioni Misniae, Burg-

grauio Magdeburgensi, &c.

Domino suo clementiss.

S. P. D.



Perspiciax in rebus
humanis, & in sacris administran-
dis miserè cæcutiens Gentilitas,
Cl. Princ. Auguste Elector, non
ignorauit excellenti uirtuti atque
beneficentiæ gloriosam laudem deberi & gra-
tiam, tanquam præmia, eaq; persoluit studiosè:
ignorauit uerò qua ratione ritè Deo sacrificaret,
& quo modo se erga defunctos, cui quidem rei
operam dabat, rectissimè gereret.

Apparet hoc cum aliunde tum ex Plataensium annua ceremonia, qua parentârunt de com-
muni totius Græciæ consultatione ac decreto,

A 2

manibus

manibus eorum qui fortiter dimicantes contra
Persas, ad Plataeas in Bœotia pro Patria occu-
buerunt, & in eodem loco fuerunt sepulti. Quæ
enim ac qualia in anniuersarijs illis sacris fue-
runt peracta? Plutarchus Chæroneus in Bœo-
tia natus, grauis scriptor, testatur: eos Mæ-
macterionis mensis quem Alalcomenium Bœo-
tijs nominarunt (nobis sequentibus Calenda-
rium Romanum est is de eruditorum homi-
num sententia September) die 16. prima luce
emisisse egregium quendam cœtum, cui tibici-
na bellicum canens itineris dux fuerit, uehicula
autem myrto & coronis passim completa. Tau-
rus deinceps subsecutus fuit colore fusco, mox
lactis & uini libationes in amphoris, & olei
quoq; ac unguenti crosso (id uasis nomen fuit
it) liberi adulescentes detulerunt. Nam cum
uiri quibus parentabatur defendendæ liberta-
tis causa uita excessissent, nulli seruo fas fuit
quicquam contrectare, quod ad hoc sacrorum
ministerium pertineret. Summus deinde Pla-
tæensium Princeps cui aliàs nec ferrum tange-
re, nec uestem aliam nisi candidam induere fas
erat: punicea tunc amictus tunica, è curia uas
aquarium attollens, nudato pugione per medi-
am urbem processit, aqua dehinc ex fonte sumta
columnas

columnas abluit, unguentoq̄ aspersit, postea
mactato supra rogum Tauro, postquam Iouem
& Mercurium infernum adorasset, uiros for-
tes qui pro Græcia mortem obiissent ad cœ-
nam & ad istas inferias inuitauit, suppositumq̄
merum cratere temperans, libansq̄, dixit: Vi-
ris hoc propino qui, ut fortiter Cræcorum li-
bertatem tuerentur, fato functi sunt.

Hæc igitur tunc fuerunt ab ipsis more insti-
tuto factitata. Sed in his omnibus quid est quæ-
so recti & ueri cultus Dei? uel quid inest pos-
tius non inepti & absurdi? quid quod ad de-
functos uerè pertineat, præter Virtutis recor-
dationem commemorationemq̄? nam & mul-
tudo Deorum abominabilis est, & mortuorū
inuitationem ad cœnam, propinationemq̄ ad
illos directam, quis est qui per se non rideat?

Rectius igitur nos facimus de laudabili ac
liberali instituto quotannis undecimo die Iulij
mensis religioso in loco congregantes, atque in
memoriam reuocantes prædicantesq̄ Virtus
tem illustrem, & casum mortis præstantissimi
Principis fratris tui Mauricij, eadem diei hora
qua ille pro patria gloriosissimam mortem obi-
it: offerentesq̄ simul Deo uero Patri Domini
& saluatoris nostri Iesu Christi cū sancto Spiritu,

tu, uerum rectumq̄, quale Regius Propheta
descripsit, sacrificium, spiritum scilicet contri-
bulatum, & cor contritum ac humiliatum: pre-
cesq̄ fundentes religiosas pro tua Clementia ac
tuis, pro Patria & Republica, & gratias, quas
par est, agentes pro datis uictorijs, ipsi, in cuius
manu corda sunt Principum & Regum, Imper-
ria & nos, & Patria & Respublica uniuersa. Cuius
solennitatis celebratio cum hoc anno ad me
delata esset, peregi eam sanè ita, ut per ualeitudi-
nem potui. Non debui autem omnino in ea pre-
terire mentionem rerum nuper abs T. C. pro
Patria laudabiliter gestarum. Nam & agenda
erant Deo pro earum felici euentu gratiæ, &
cohærent illæ cum gestis fraternis, ut à me os-
tensum est, ita, ut separari prorsus nec debeant
nec possint. Etsi autem in hac perditissimorum
hominum temeritate atq̄ audacia uix tutum es-
se uidetur, mandare literis ea quæ uera sunt,
cumq̄ eò magis simultas extimescenda sit sæpè,
quo ueriores sunt quæ quis perscribit, quod sem-
per ueritas odium parere solita sit, sicut fauor-
em obsequium: tamen cum cogitarem, quid
Veritati (quæ Dei nomen est & titulus) cuius
semper fui studiosissimus, quid Patriæ quam
ardenter amo, quid Principibus meis, quos
reuerenter

reuerenter colo & submissè ueneror, debeam:
cumq̄ uiderem non paucos sæpè aucupantes
quorundam gratiam ab impudentibus menda-
cijs & futilitatibus nec abhorruisse nec abstinu-
isse: nihil ueritus sum per datam occasionem
commemorare nunc ac celebrare ea, quæ ita
re uera se habere, itaque gesta esse omnium
conscientiæ confirmant ac loquuntur, quæq̄
per uniuersum Imperium ac totum penè ter-
rarum orbem certò constant. Ab omni au-
tem falsitate fictioneq̄ quàm studiosissimè re-
ligiosissimeq̄ abstinui. Ea nunc ad T. C. pe-
culiariter mitto expressa, quæ ut T. C. &
me simul ipsum multis aduersitatibus pres-
sum, & penè oppressum, clementer suscipe-
re, tueri, ac fouere uelit, submissè oro, Ea-
q̄ de causa præmissa Epistola nominatim T. C.
affari uolui. Excitabit hoc me & alacriorem
efficiet ad suscipiendum cum alia, si Deus ui-
tam mihi benignè prorogauerit, tum ad absol-
uendum perpoliendumq̄ ea quæ in manibus
habeo. Quæ si non honori (tantum enim mi-
hi non sumo) saltem nec ignominia, ut spe-
ro, Patriæ & Illustrissimæ domui Saxonicae
sunt futura: Meum certè Patriæ amorem des-
bitum,

bitum, & obseruantiam erga Illustrissimos
Principes iustam declarabunt. Benè ualeat T.
C. cum Illustrissima Coniuge & liberis ac fa-
milia uniuersa. Lipsiæ V. Idus mensis Vlis.
Anno M. D. LXVII.

T. Illustris. Cl.

addictissimus

Michaël Barth
Magister.

ORATIO.



Vod & doctrina cœlestis ubique inculcat, & notiones insitæ animis subiiciunt, secundum senarium Græcum: ἀρχὴν ἀπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν: Ut à Deo opt: Max: cuius Fabrica sumus, initia, successus, & prosperos euentus omnium rerum, negotiorum, atq; actionum nostrarum, petamus, & eosdem ad eundem tanquam ad autorem & gubernatorem præcipuum referamus: id nos & in loco religioso, & in eo quod tractandum suscepimus argumento, in quo celebrabuntur quædam singulari Dei prouidentia gesta & feliciter peracta, præterire neutiquam deceret.

Ante omnia igitur inuocamus, laudamus & celebramus æternum atq; omnipotentem Deum conditorem & conseruatorem vniuersæ naturæ, patrem Domini & saluatoris nostri Iesu Christi θεοῦ γενῶπτος, qui cum Patre & Spiritu sancto, assumtus in diuinitatis thronum, exaltatus super omnes cœlos, & coronatus gloria & honore, uiuit ac regnat, distribuit et dat sua dona hominibus, prudentiam, fortitudinem, & victoriam, Heroibus & Principibus, solus ipse fortissimus & sapientissimus, fons inexhaustus & perennis omnium virtutum, trinus & vnus sæculis infinitis.

B

Deinde

Deinde cum neminem lateat qua de caussa solennis hic conuentus sit institutus, pro virili, & ut praesens mea fert languida certè & longo tempore afflictà valetudo, exequar id quod agendum est. Quam sanè functionem quemadmodum non modo nemo fastidire potest ex ordine nostro, sed appetūt potius multi, & ego honorificam duco: ita (fatebor enim quod res est) non solum æquissimo animo tulissem, sed optavi etiam, ut nunc quidem demanda ea fuisset alteri. Nam neq; alacritate satis idonea ad eius rei pertractationem nunc sum praeditus: & animus qui quidem mirificè gestit depromere aliquid dignum loco, personis, rebus & temporibus, languore tamen corporis praepeditur, nec satis exerere vim suam potest. Et dubitationem mihi obiecit eloquentia eius viri, quem scitis antehac opera sua, etsi alieno plerumq; ore, hosce actus splendidis & (quales sunt eius omnes) elaboratissimis orationibus exornasse. In cuius tamen absentia nuper cum viri graues & praecipui me vrgerent, ne subtraherem opellam meam, Et opinionem de me, vtinam haud falsam, concepissent, posse me non omninò incommodè hoc munere perfungi, nolui sanè refragari pertinaciter illorum & legitimæ magistratus auctoritati, neq; deesse mea tenuitate Illustrissimæ celebrationi eorum, quibus post Deum deberem plurima, volui. Iacta igitur est alea, quæ vt feliciter cadat optare magis possum quàm prestare.

Dicam

Dicam autem primum de eo, de quo dicendum est omnino, cum illius propria hæc sit, & vnius ipsius manibus debeatur ac præstetur festiuitas, de Illustrissimo nempe atq; æterna commemoratione dignissimo Principe ac Heroe fortissimo MAVRICIO Duce Saxonie Electore, non sine acerbissimo dolore nostro pro Patria, in acie inter pugnandum lethaliter vulnerato, & ex hac vita sublato ante annos quatuordecim. Deinde & Illustrissimi fratris AVGVSTI adhuc Dei benignitate & protectione (pro qua illi gratias quas possumus debitas agamus, & vt diuturna illa sit oremus) superstitis, fraternaq; dignitate & regione perfruentis, Principis nostri clementissimi, res, proximis mensibus gestas, non magis commemorabo, cum sint eæ in ore atq; auribus omni populo, quàm ad illum fratris Illustrissimi Ducis postremum actum applicando conferam, ostendamq; nisi me animus fallit, & probabo vobis atq; demonstrabo euidenter, pares esse hos inter se vtriusque actus, etsi dissimili modo, dispariq; nonnihil fortuna & variantibus circumstantijs atq; euentis, administratos: pariaq; esse merita & parem gratiam deberi iisdem, non modo ab hac regione & à nobis, qui quid non debemus illis? sed ab vniuersa Germania, imò verò à totius Imperij Romani quàm latè illud patet, Proceribus ac Statibus. Verè enim hos & sine omni adulationis, (à qua animus meus semper abhorruit) suspiciõne, nec quicquam

destrahendo Inuictissimæ Cæsaris Maiestati & Aquilæ
sub cuius alarum Umbra omnes fouemur, Verè inquam
hos Patriæ, Germaniæ & Imperij, ne illud turbaretur
atq; euerteretur, Patres & conseruatores salutare pos-
sumus. Horum enim non modo vigilantia, sagacitate,
sapientia atq; autoritate, de quarum laudibus etiam alij
participant, sed corporum animorumq; præsentia atque
fortitudine, sanguinis vitæq; alterius quidem profusio-
ne, alterius graui discrimine atq; periclitatione operaq;
præsentia, res tantæ perfectæ sunt.

Ac de MAVRICII quidem cæteris gestis, de
quibus & luculentas sæpè Orationes ex hoc loco audiui-
stis, & Historicorum volumina vndiq; personant, quo-
rum multitudine magnitudineq;, & vitæ spaciū anno-
rumq; suorum numerum superauit, & non modo Patri-
am (ita voco has eius proprias terras) Germaniam,
Pannoniam, Italiam, Hispanias & Gallias, exterarq;
Prouincias reliquas Romani Imperij & Christiani no-
minis socias: sed & regnum Turcicum Mahometana
impietate furens & cæcum, omnemq; terram à Solis or-
tu ad occasum vsq;, impleuit: de his inquam quas pluri-
mas & maximas atq; admirabiles, piè, sapienter, forti-
ter, feliciter & celeriter sæpè gessit atq; perfecit, ne in
præsentia quicquam dicam: reuocemus saltem in animos
ac memoria repetamus quid ante annos quatuordecim
acciderit, & quomodo ac quibus de causis susceptum,
gestum

gestum & perfectum fuerit illud bellum, in quo victor ipse suo sanguine incolumia prestitit & conseruauit omnia.

Pacificatione inita Passauij anno quinquagesimo secundo, & negotijs omnibus quæ antehac per multos annos variè mirabiliterq; tractata atq; gesta fuerant, transactis: sublatisq; vt videbatur (à sapientissimis & pacis iusticiæq; amantibus Principibus, & summis magistratibus, in quibus & clementissimus CAROLVS Quintus Imperator nominandus venit) omnium dissidiorum per Germaniam atq; Imperium, causis: ALBERTVS Marchio Brandenburgensis quocunq; sanè consilio (de eo enim disputatio esset hoc loco alienior) pacificationem illam reiecit, in qua tamen comprehensus & ipse erat, modo ab armis intra certum atq; definitum tempus discederet. MAVRICIVS verò de rebus Germaniæ penè securus, Francofurto discedens copias suas Donauerdam traducit, & secundo deinceps Danubio in Pannoniam contra Turcicas irruptiones deducit, ijsq; repressis & fugatis, ouans in Patriam reuertitur. ALBERTVS verò Marchio alijs alibi per Imperium violenter tentatis atq; gestis, tandem cum Gallum reliquisset, reconciliatus quidem est aliquo modo Cæsari ad Mætum. Anno autem sequente quinquagesimo tertio, cum neutiquam conueniret ei cum Franciæ orientalis Episcopis, neq; inter eos res componi vlla

pacificatione, quæ aliquoties tentata est, posset: imperatum est ab Imperiali Camera non modo Mauricio, sed & multis alijs Illustribus Principibus & Norinbergensi quoq; Reipublicæ, ut opem Episcopis ferrent, & vim Alberti ab eis arcerent. Eam opem promisit MAURICIVS, Imperio obsecundans, & ex tentatis rebus & iactitatis verbis, suspicatus, id quod res erat, se quoq; obliquè hoc bello peti. At Albertus qui (dicendum est hoc enim) obstinatum animum gerebat miscendi sacra prophanis, & euertendi quæcunq; posset, nisi obtineret quod vellet, dixisse enim fertur: effecturum se, ne aliorum potior esset quàm ipsius conditio: igne sæuens primum atque direptionibus, per Episcoporum & Norinbergensium ditiones, quo Mauricius & socij auxilia miserunt, tandem & in Saxoniam impetum fecit, & Principum nostrorum fines, sine omni denunciatione, quæ in more est, hostiliter peruasit, cum in reditu alia quoq; esse tētaturus videretur. Ea res reuocauit copias Mauricij domum, & ipsius generosissimi & pacis quidem ac iusticiæ amantis, sed & iniuriæ manifestæ impatientis Herois, animum commouit, ad amoliendum à se suisq; iniustissimum bellum. Ergo cum videret ad direptionem suæ ditionis ac sociorum, & ad perturbationem Germaniæ atq; Imperij grauissimam spectare omnia, arma necessaria sumsit, & instructissimo, tum equitatu tum peditatu contra Albertum egressus est. Nec
longo

longo tempore pòst, die videlicet nono Iulij, qui dies & Indæis & Atheniensibus & Romanis ater est, acerrimo prælio cum Alberto congressus, victoriam Patriæ quidem & vniuersæ Germaniæ atq; Imperio salutarem adeptus est, sed sibi exitiosam & lethalem, dum, quod nemini ignotum est, in ipso victoriæ cursu, tormento manuario ad ilia traiectus, tertio die pòst, in ipso ætatis flore, vitam in his terris clausit. Nulla orationis vi aut facultate vel leuiter adumbrari possunt, neq; rerum gestarum eo die magnitudo, neq; pericula, è quibus, tanquam ex teterrima fluctuantis maris tempestate, emer- sit, & seruata est Patria, & is qui adhuc Deo propicio viget, & conspicitur qualiscunq; Germaniæ & Christi- ani Imperij status. Ad perniciosam dissipationem atq; euersionem spectabant, vt ante dictum est, omnia. Neq; exiguæ erant vires, neq; ignaui vel duces vel exercitus, sed audacissimi, & quam plurimi tales, quibus erat iuxta Poëtam:

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Ceciderunt vnà cum MAVRICIO in eodem conflictu Duces Brunsvicenses duo HEINRICH filij CAROLVS & PHILIPPVS, & Lunæburgensis vnus FRIDERICVS ERNESTI filius ictus vitam postea etiam finiuit: Co- mites generosarum familiarum & generosorum animo- rum ipsi non pauci: ex ordine equestri nobilissimi quiq; per cen-

per centurias numerandi. De hoc conflictu quoties cogito, venit mihi in mentem eius cladis quam laudatissima Romanorum familia accepit tum, cum vno die:

Veientibus aruis

Tercentum Fabij ter cecidere duo.

Simile enim quiddam nobilitas nostra eo die pro Patria perpeffa est. Ex hostili simul parte fuerunt qui affirmarent ad quatuor millia fuisse caesa, captiuorum verò ingens fuit numerus. Albertus ipse fugatus est, amissis signis militaribus & pedestribus quinquaginta quatuor, equestribus verò quatuordecim. Etsi autem fortiter pugnarunt nostri, tamen in Mauricij etiam vulnerati, animi magnitudine, dolorisq̄, quem maximum fuisse vulneris locus ostendit, fortissima tolerantia, & in armis adhuc atq̄ exercitu perseuerantia, victoria sita fuisse creditur non temerè. Cuius casus gloriosissimus multum similis est, meo iudicio, ei, qui Epaminundam clarissimum Thebanorum Ducem excepit. Is enim, in victoria ad Mantineam traiectus hasta & vita penè deficiens, ex ijs qui recreare ipsum conabantur, quæsiuisse primum scribitur: an Clypeus esset saluus? deinde an fusi hostes penitus? quæ postquam ex animi sententia habere comperit: non finis inquit commilitones meæ vitæ, sed melius & alterius initium aduenit: nunc enim vester Epaminundas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu & auspicijs meis caput Græciæ factas video, & fortis

Et fortis et animosa ciuitas Spartana iacet armis nostris abiecta, amara dominatione Græcia liberata est, orbis quoque, non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctra et Mantineam relinquo. Deinde è corpore suo hastam educi iussit, eoque vulnere expirauit. Similiter Illustrissimus et fortissimus Princeps MAVRICIVS victor lethaliter vulneratus, ad socios adhuc literas dedit, quibus suam esse victoriam nunciauit: Quicumque ipsius grauius vulnerati futurus esset exitus, se optimam habere conscientiam. Bellum enim hoc in eos fines suscepisse, quos ante oculos penè cerneret, ut Patriæ vastatorem reprimeret, et ocium Germaniæ recuperaret. Addere his poterat verè et certiore cum fiducia quàm Epaminundas: non nunc adesse finem vitæ suæ, sed melioris initium, et nunc demum se nasci, quando tam gloriosè occumberet, et in æternam vitam ex hac calamitosa migraret: Suas Regiones ac subditos Germaniamque omnem et Imperium à presenti periculo se liberasse, hostis atque deuastatoris audacis et exultantis vires atque robur ita fregisse, ut ad recolligendum spes nulla superesset. Sed et hæc: se orbem minimè discedere, qui tot actam mirificarum rerum ab se gestarum memoriam, et huius inprimis victoriæ illustria monimenta post se relinqueret. Quamobrem et de eo verissimè addi potest hoc ad imitationem eius, quod de Epaminunda est perscriptum elogium:

C

Quod

Quod si eum Deus immortalis victorijs suis perfrui pas-
sus esset, quod sospes gloriosior Patriæ mœnia non in-
trasset. Sed de eius diei conflictu non verebor in præ-
sentia recitare, tanquam pro clausula, versus à me fa-
ctos, ex quodam meo opusculo, suo tempori reseruando:
Hi igitur sunt tales:

Mauricio Albertus durum infert Marchio bellum,
Pugnarum fuerat qui comes ante Duci.
Ingrediturq; ferox ferrumq; minatur & ignes,
Et quos attingit depopulatur agros.
Hunc contra iustas Dux exardescit in iras,
De Alberto meritis qui meliora fuit.
Educitq; suas equitum peditumq; cohortes,
Quarum ingens virtus visq; animosa fuit.
Nec longè à Peina congressi prælia miscent,
Prælia magnanimis conspicienda viris.
Nona dies Quintilis erat, qua fusus & hostis,
Et qua Mauricius vulnera dira tulit.
Nam dum est in medio felix victoria cursu,
Ictus bombardæ victor & ipse fuit.
Tertiaq; ex illo lux vulnere sustulit ipsum,
Qui longos annos viuere dignus erat.
Hæc fuit illa dies in qua Peinensibus agris
Quatuor illustres bello obiêre Duces.
Et multi Comites & Nobilitate celebres
Tercentum & plures interiêre viri:
Ne memorem vulgus: tamen hæc victoria parta est
Ingens, & Patriæ parta cruore salus.

Sic benè

Sic benè Dux generose cadis, nec honestius vnquam
 Posses, quam quod sic Dux generose cadis.
 Ist hoc pro merito cum multis nostra quotannis
 Nænia te semper Dux generose canet.
 Semper honos nomenq; tuum laudesq; sonabunt,
 Contra grande tui dedecus hostis erit,
 Qui dans terga fugæ tibi Signa virosq; reliquit
 Per longas decades quæ numerare licet,
 Quæ nunc signa tuum exornant cum laude sepulchrum,
 Quo nullum his terris pulchrius extat opus.
 Felix ô iterum felix Friberga quod huius
 Cunis & tumulo es nobilitata Ducis.

Hunc itaq; in modum Heros ille nunquam satis lauda-
 tus sedauit plenam horroris & ingenti cum tonitru ful-
 minantem in Germania tempestatem, & exortum inde
 ac sæuiens longè lateq;, at, proh dolor, generosissimo
 sanguine suo, tanquam salutari aqua, restinxit incen-
 dium.

Verum enimvero quod fieri plerunq; in magnis &
 grauibus deflagrationibus videmus, vt, etiamsi dili-
 gentissimè atq; exquisitissimè opprimantur & extincta
 esse videantur omnia, nullis ne effumigijs quidem ampli-
 us apparentibus: scintilla tamen interdum aliqua cine-
 ribus obruta remaneat atq; foueatur, quæ deinceps aëre
 ventilata nouas vires assumit, & materiam circum-
 quaq; appetit, & quam potest accendit, qua sese susten-
 tet & nutriat, vt, quæ natura ignis est, grassari de-

nuò & absumere quæcunq; attingit, possit: Ita ex hoc incendio scintilla abdita ad tempus & contecta remansit, quæ paulatim deinceps retecta, vndequaq; & ligna & stramina atq; picem & materias quascunq; facile inflammabiles sibi in nutrimentum atq; sustentationem, ne euanesceret, conquirens, nouam meditata est atq; apparauit deuastationem. Cuius oppressio fatali quadam, vt ego interpretor, dispositione, reseruata est Illustrissimo MAURICII fratri, AVGVSTO Electori, Principi nostro clementiss. Vt, qui in regionum & dignitatum amplissimarũ hereditatem ei successisset, haberet etiam in quo exerceret atq; acueret animum tanquam Colophonem rebus à fratre cum vitæ iactura gestis, imponendum. Sed quæ fuit illa obscura & latens scintilla, quæ per tot annos grassationem nouam semper meditata atq; molita, & nunc demum extremam perniciem inferre rebus audacter aggressa est? An quoquam hîc diuinatore opus est? An est quisquam qui ignorare adhuc possit?

VILHELMVS Grumbachius fuit nobili genere ortus inter Francos, diuitijs pollens & autoritate etiam apud nonnullos, sed ingenio tali, quali eum res ipsæ atq; actiones fuisse testantur, quod plura semper & immoderata atq; incredibilia etiam appeteret. Is Alberto Marchioni in omni fortuna, quæ varia fuit, semper adhesit, & in illis ipsis bellis, quæ contra Episcopum Herbipon

Herbipolensem & socios, cuius tamen Vasallus fuit, suscepta ab Alberto sunt, ab eodem non discessit: inhians ubiq; ut fuit animo subdolo & audaci, occasionebus inuadendi aliena, & ob hoc ipsum bellis intestinis gaudens, & ad ea semper instigans. Multatus igitur fortunis ab Episcopo, aegerrimè hoc tulit, & multis uariè frustra q; pro recuperatione tentatis atque agitatis, cum perpetrarentur hinc inde multa & varia, quorum ipse conscius autor & consultor haberetur: tandem ascitis sibi socijs & equitatu, præter spem atque opinionem, firmatus, ad manifestam vim se conuertit, & idoneis instrumentis armatus, nocte quadam silenti Herbipolim aggressus, & porta quadam non vsq; adeo munita violenter adaperata, magno cum tumultu urbem inuasit, & non magis ciues, quanquam & hos, vrgens, quam Sacerdotes & Episcopi (qui & Dux est Francorum) absentis familiam, vi extorsit literas, signa & chirographa, de satisfaciendo sibi suisq;, et præter cædes quasdam perpetratas, non exigua simul spolia eripuit atq; abstulit. Post hoc perpetratum facinus ab Imperatore FERDINANDO, piæ memoriae, & Senatu Imperiali proscribitur & ipse, & vnà alij quidam eius socij & conscij. Hanc proscriptionem demoliri omni conatu studuerunt, effeceruntq;, ut nonnulli auctoritate & potentia valentes primum pro ipsis intercederent precibus. Sed conficere rem non potuerunt, &

auēta est deinceps etiam sub inuictissimi Imperatoris
MAXIMILIANI imperio, indignatio. Latibula igitur sibi, vel firma potius propugnacula ad ex=
tremam necessitatem defensionemq̄, quæritantes, tan=
dem optimæ atq̄ illustrissimæ familiæ Principem IO=
ANNEM Friderichum secundum eius nominis,
Saxoniæ Ducem adeunt, eumq̄ faciliorem erga ipsos
quàm conducebat rebus eius, blanditijs, & coloribus
causæ suæ inductis, & plausibilibus, ut res acta docet,
promissis ac pollicitationibus captantes sibiq̄ concilian=
tes, accedentibus etiam aliorum prauis consilijs et tech=
nis, ita occuparunt, ac penè (dicendum est hoc enim, sed
dico non sine magna commiseratione) dementarunt,
vanaq̄ spe lactarunt, implicuerunt, atq̄ irretiuerunt,
ut non fratris & consanguineorum atq̄ agnatorum, non
amicissimorum Principum atq̄ Consiliariorum plus a=
pud eum valerent salutaria monita, quam proscripto=
rum perniciosa & suis tantum rebus seruiencia ac mali=
tiosa consulta. Huius animum postquam hunc in mo=
dum occuparant Grumbachius & Socij, totos sese illi
committunt & tradunt. Ipse eos tuetur fouetq̄, nec ut
ab se dimittat, persuaderi ullis argumentis potest. Cepe=
runt ex ea re magis magisq̄ indies ferocire ipsorum ani=
mi, consiliaq̄ iniuerunt, quibus pertinacem in proposito
efficerent illustris Principis erga se uoluntatem. Propo=
nunt quæ libenter audit, & promittunt grandibus buc=
cis ac

cis ac certò Principi, & quantum possunt appetunt, con-
quirunt & apparant etiam ad extremam necessitatem,
& ad auertendam (si ita, quod tamen haud facile futu-
rum esse ipsis videbatur, cadat) vim bellicam, auxilia.
Nec solum hoc agunt, vt se eo in receptaculo tutos,
quemadmodum sperabant, præstent, sed inhiant etiam
rebus & regionibus & dignitatibus alienis ac summis
personis. Non futilibus aut leuibus suspitionibus, sed
grauibus & fide dignis indicationibus ac euentis compe-
rit Illustrissimus Elector AVGVSTVS, sibi, su-
isq; Prouincijs, à Grumbachio atq; adherentibus, &
minas intentari, & tectas insidias strui, & vim quoque
grassatoriam ac apertam parari: vt vel ipse in venati-
one, qua se oblectare libenter solet, ex improviso captus
abduceretur, vel remoueretur quocunq; modo obstans ab
ipsius illustrissima celsitudine, conatibus turbulentis,
impedimentum. Regiones autem eius inuaderet condu-
cta in hoc audax lateq; fusa armatura, quæ, si res succe-
deret, vniuersæ Germaniæ atq; Imperij statum pertur-
baret atq; euerteret. Spargebantur tunc etiam rumo-
res de superstitiosis magicarum artium in illo cœtu exer-
citationibus, quibus cum alia singularia effici, tum fu-
tura præsciri ferebantur. Hæc illustrissimo Duci ac
Principi nostro AVGVSTO Electori & Roma-
ni Imperij Ensifero causam præbuerunt petitionis, que-
relæ, & expostulationis etiam, cum Principe agnato &
confæde-

confœderato IOANNE Fridericho, vt eiusmodi homines à se dimoueret, qui non solum ipsi insidias sceleratas struerent, & perturbare conarentur tranquillitatem Patriæ & pacem ac fœdera agnatorum, sed Romani Imperij statum conarentur conuellere, quos potius, vt prosriptos, deceret Imperatori ac Senatui sistere. Grumbachius verò cum adherentibus negando & pernegando ista omnia de quibus accusabatur, apud suum Principem Ioannem Friderichum effecit, vt locum illa quæ ab Augusto Electore & simul à fratre quoq; IOANNE Vilhelmo, multisq; alijs, fidei consilio, agebantur, nullum inuenirent. Adeo obsederant homines seditiosi, turbulenti, & prosripti, animum Principis, Grumbachius inprimis, qui tamen superiore bello Germanico eius parenti fuerat aduersatus.

Eò igitur tandem delata res est, vt per Imperij Comititia, ab Imperatore augustissimo MAXIMILIANO eius nominis secundo, & Statibus, repeteretur & denuo publicaretur prosriptio, eiusdemq; executio simul demandaretur AVGVSTO Ensifero, & auxilia decernerentur conuenientia. Qui hunc in modum summus rei gerendæ Dux constitutus, & Præfectus, vt vulgò loquuntur, Generalis, imperio parès, & vt se suosq; ab instanti periculo vindicaret, omnia quæcunq; ad Urbis atq; Arcis GOTHANÆ (Grimmensteno huic inditum fuisse nomen peculiare notum est
firmissimo

firmissimo propugnaculo, cui salutem suam, & eorum, quos sibi tuendos atq; conseruandos proposuerat, commiserat IOANNES Friderichus) obsidionem facere videbantur, celerrimè instruit, conquisitoq; firmo equitatu & peditatu, haud mediocri, cum his ad obsidionem ipse proficiscitur.

Adiunxerunt se eidem & eodem accesserunt etiam decreta auxilia, Francorum imprimis & aliorum. Ex Principibus etiam silentio non prætereundus illustris Holsatiae Dux ADOLPHVS ipse cum suis, etsi tardius paulò, aduenit. Et Legatos, Commissarios vulgò vocant, misit atq; adiunxit Imperator OTTONEM Comitem Ebersteinium, CHRISTOPHORVM Carolouicium dominum Rubrae domus, & Equitem Imperij Auratum ac hæreditarium, & FABIANVM Belliquercium Equitem Auratum & ipsum. Sed omnia præcipua accuratione & prouidentia Electoris gesta sunt. More belli missi primum Feciales & literæ, quæ & Principem à contumacia dehortarentur, & traditionem proscriptorum, Urbis, & Arcis, postularent, liberarentq; omnes subditos & milites à iurisiurandi Ioanni Fridericho præstiti religione, absolute atq; potestate Imperatoria. Atq; hæc aliquoties eò perscripta, & repetita sunt ab AVGVSTO & adiunctis. Fecerunt idem & alij & IOANNES VILHELMVS Dux Ioannis
D Fride-

Friderichi frater germanus, qui, ut reliquam omnem
ditionem subditosq; in fidem atq; clientelam suam ade-
git, ita Gothanos etiam ad sibi præstandam fidem &
ad tradendam Urbem atq; Arcem, relicto fratre, siqui-
dem is Imperio non pareret, hortatus est. Sed nihil
proficientibus literis, & populo militibusq; haud, ut di-
cebatur, propositis illis, sed confictis alijs belli causis,
quibus & religio prætenderetur, admiscerenturq; alia,
quibus in invidiam atq; odium pertrahere conarentur,
atq; grauare Illustrissimum *AVGVSTVM* Ele-
ctorem, & qui foris ei adiuncti erant, tandem ad oppu-
gnationem apparari ceperunt omnia. In ipso autem ap-
paratu, intercepti quidam, ab obsessis emissi, ferentes se-
cum & literas & auri signati nonnihil, quibus auxilia
non vno ex loco euocabant. Per quas, res atq; consilia
eorum, personæ præsertim non pauca, proditæ fuerunt,
nihil obstantibus characteribus, quibus in literis per-
scribendis peculiaribus, & ut ipsi putabant, nemini ex-
terno internoscendis, vsi erant. Gesta & subinde alia
quædam, & velitationes habitæ, in quibus nonnulli v-
trinq; capti, vulnerati, occisi etiam sunt, tormentis bel-
licis plurimis sæpè emissis, & ignitis etiam globis non-
nullis coniectis ab ijs præsertim, qui obsidebantur, nec
magis ab Urbanis quàm ab ijs qui ex Arce loco oportuno
omnia propugnabant. *AVGVSTVS* Elector,
quod summum belli Ducem decebat, ipse cum adiunctis
omnia

omnia loca obequitare, inspicere, mandare, urgere,
procurare, nihil omittere quod ad rem bene & ex sen-
tentia gerendam aliquid facere & ad prudentis atq; for-
tis Ducis officium pertinere posset, & sepe non extra
periculum esse. Perturbationis nonnihil mouit foris,
Goltbachi, pagi vicini, repentina & per imprudenti-
am, nescio cuius, exorta conflagratio, in quo & Elector
ipse & adiuncti praecipui quiq; ad hoc vsq; tempus dege-
bant. Apparatus autem & machinationes atq; strata-
gemata excogitata fuerunt eiusmodi, & quaedam etiam
instituta ex his atq; perfecta, vt nemini dubium esset,
quin breui admodum Vrbe, quanquam validè munita,
potiri possent. De Arcis etiam expugnatione, extructis
prius & perfectis quæ in animo habebat Augustus, non
diffidebatur. Hæc animaduertentes Oppidani, & qui
in praesidio erant, videntesq; certo sibi & breui pereun-
dum esse, etiamsi Arx fortè diuturniorem obsidionem
sustineret, & certiores facti de vera atque vnica belli
causa, quod expeterentur atq; postularentur ab externis
totoq; Imperio proscripti tantum: rationes & consilia
inierunt inter sese, & cum plerisq; in Arce etiam eius-
modi, vt Grumbachium cum socijs ac consultoribus
praecipuis ex ipsa Arce captum ad custodiam urbanam
pertraherent. Quo peracto certiores statim faciunt ea
de re per literas Electorem Augustum cum adiunctis,
ac simul inducias & colloquium petunt. Colloquij locus

eis deputatus est & hora à Commissarijs Cæsareis, sed eodem oppidani tunc primò non venerunt, quod intellexissent, summum rei gerendæ præfectum *AVGVSTVM* Electorem, & *IOANNEM* quoque *VILHELMVM* Ducem, *IOANNIS FRIDERICHI* fratrem, tum abesse, ex quibus hic quidem Coburgam, vt accepimus, discesserat: Augustus verò ex Castris abiuerat Cassellum in Hessiam vicinam, vt extremum humanitatis officium in funere deducendo præstaret *PHILIPPO* eius Prouinciæ Comiti illustrissimo, atq; clarissimo per omne Imperium Principi, & multis nominibus sibi coniuncto, qui per id tempus vltima videlicet Martij mensis die, vt ego accepi, è viuis excesserat. Irritæ igitur factæ sunt etiam induciæ, omniâq; in Electoris reditum fuere dilata. Quo intra paucos dies in castra reuerso, quo redierat iam etiam *IOANNES* Wilhelmus, re deliberata, & multis forâs introq; missis ac remissis disputatorijs literis, ad Colloquium exeundi rursus potestas facta est, & saluus conductus ad hoc concessus Oppidanis, loco oportuno designato, & custodia idonea adhibita. Eò venientes Oppidani & præsidarij numero sedecim, deprecati rebellionem & proscriptionis vim, excusarunt se, quod de vera causa belli nunquam certiores facti, alias, & religionem in primis prætendi semper audiissent. Nunc verò re atq; veritate manifestata, supplices se ex-
petere

petere gratiam, & deprecari munimentorum subuersio-
nes, spoliationem, & militis externi immisionem. Pro-
posita fuerunt eis capita & conditiones quas inirent,
qui, re deliberata cum suis, postridiè redierunt, & Capi-
tulationem, vt vocant, recipientes, ciuibus & praesidio
propositam, ratam omnes habuerunt. Traditæ igitur
sunt ab illis in potestatem munitiones omnes, & tam
Vrbs quàm Arx occupata, sine cæde & sanguinis pro-
fusione innocentis. Venerunt in potestatem & Grum-
bachius ac alij quidam uincti. IOANNES Fri-
derichus Dux quoq;, qui deliberationem per literas cum
Principibus nonnullis petiuerat, CÆSARÆ
Maiestatis & AVGVSTI Electoris agnati gra-
tiæ ac necessitudini se submisit ac tradidit. Incidit tra-
ditio hæc in diem Dominicum Misericordias Domini,
ita enim ab incoatione cantus solennis Ecclesiastici in
Ephemeridibus ascribitur, quo ipso etiam (quod quasi
ad singularem & fatalem quandam dispositionem plu-
rimi referunt) ante annos viginti, variante tamen
Mensis die, Illustrissimus Princeps Elector IOAN-
NES FRIDERICHVS primus, huius pa-
rens, magno conflictu, ad Albim propè Mulbergum, à
CAROLO Quinto Imperatore, fuso exercitu, cap-
tus est. Exactissimè etiam incidit hæc ipsa traditio &
dies ille Dominicus (quod silentio prætereundum haud
putavi) in diem decimum tertium mensis Aprilis, qui

est iuxta Romanos Iduum, quo ipso die, ante annos no-
 uem MELCHIOR Zobellus laudatissimus Epi-
 scopus Herbipolensis & Franconiae Dux, intra Vr-
 bem & Arcem, talium securus, à grassatoribus Grum-
 bachianis globo tormentario, immani & fraudulenta
 aggressione, miserabiliter ictus atq; occisus est: De quo
 facinore alios aliorum sermones fuisse scimus. Ipse qui-
 dem Grumbachius autorem se illius fuisse pernegauit. Il-
 lo autem die vertentis anni climacterici ad pœnam vo-
 catus & traditus est Grumbachius, quo fuerat, vt di-
 ximus, è medio Episcopus per nefariũ parricidium mor-
 te sublatus. A cæde & spoliatione ciuium præsidario-
 rumq; clemens victoria abstinuit. Proscripti ad exquisi-
 ta supplicia protracti, ijsq; in populi conspectu affecti
 sunt, quæ Imperij seueritas & Respublica, propter ex-
 emplum, postulabant. Princeps captiuus abductus est.
 Munimenta deiecta & diruta. Sed de G O T H A
 capta, pro huius quoq; narrationis clausula, addam He-
 xastichon Chronologicum, quod nuper in eius rei memo-
 riam feci tale:

MILLE ET QVINGENTIS A PARTV VIRGINIS ACTIS
 SEXAGINTA ANNIS QVATVOR ATQVE TRIBVS:
 ENSIFER AVGVSTVS GOTHAM VRBEM, ARCEMQVE, DVCEM-
 IDIBVS APRILIS DEDITIONE CAPIT. (QVE,
 SVPPPLICIOQVE GRAVI PROSCRIPTOS TOLLIT, AGITQVE
 IMPERIO CAESAR MAXMILIANE TVO. (HAEC

Quis verò iam est qui non videat, qui negare possit,
 qui non fateri cogatur, huius actionis & rei ab Illustris-
 simo

simo Electore *AVGVSTO* gestæ atque perfectæ,
meritum, erga Patriam, erga nos, erga Germaniam
atq; Imperium vniuersum, æquale esse ac par illi frater=
no Herois *MAVRICII*, nisi quod, quemadmodum
ab initio dicebam, dissimiliter hæc gesta sunt, & dissi=
mili fortuna & uariantibus circumstantijs ac euentis,
peracta. Fructus verò redit ad Patriam, ad nos, ad
Germaniam, ad Imperium orbis terrarum prorsus idem.
MAVRICII plenissima ac fortissima, cui assuetus
erat, depræliatio, vi aperta & robore ingenti contudit
atq; attriuit Patriæ hostes, ingentes campos iam armo=
rum sonitu ac fulgore replentes: *AVGVSTI* pru=
dens sagacitas, accurata & circumspecta obseruatio ac
procuratio, anteuertit, & in ipso apparatu oppressit,
Grumbachij & adhærentium tectos dolos, insidias, &
immanis violentiæ potentiæq; apparatus, bellumq; illis
iam nascens extorsit ex manibus. Vterq; frater, vterq;
Dux et Princeps, neuter sua laude defraudandus, pru=
dentissimis consilijs atq; fortissimis actionibus rem benè
ac feliciter gessit ac perfecit, Patriam, nos, Germani=
am vniuersam, & Imperium (saluam semper inuictissi=
mi Imperatoris maiestatem, cuius auspicijs hæc suscepta
sunt, intelligi volo) conseruauit.

Saluete igitur iterumq; saluete ambo Patres Pa=
triæ & conseruatores: Vos communiter & singuli
Principes atq; fratres Illustrissimi: Tu quidem Mau=
rici

rici in alia iam & beatiore vita æternitatis gloria af-
fluens : & tu Auguste in hac ipsa Varijs fortunæ pro-
cellis exposita, secundum *DEVM*, nos, utinam diu
ac clementer, protegens ac fouens : Vestris laboribus,
vestris consilijs & periculis, Respublica, bona & for-
tunæ omnium, ipsumq; Imperij pulcerrimum domicilium
Germania, ex flammis atq; ferro, & penè ausim dicere,
ex faucibus fati erepta, conseruata, & restituta sunt.
Agris, Pagis, Castellis, Oppidis, Urbibus, tectis omni-
bus, sacris, publicis, & priuatis, circumdatos & propè
iam subiectos ignes, vos restinxistis. Hastas micantes,
& gladios, mucronesq; iam penè exertos atq; districtos,
à iugulis, non modo ciuium & virorum, sed coniugum
liberorumq;, auertistis atq; reiecistis. Fragorem tormen-
torum horribilia tonitrua imitantem, quas bombardas
à sonitu nominarunt, vimq; disrumpentem atq; euerten-
tem quæcunq; attingunt omnia, vos sustinuistis atq; elu-
sistis. Vobis igitur quas gratias agi, quos honores ex-
hiberi par est? A nobis quidem & eæ, quas debemus
grates, & honores exhibebuntur illi, qui poterunt, ani-
morum quidem contentione summa, sed viribus tamen
humilibus & opellis literatis, quarum quæ sit atq; fuerit
semper efficacia, notum est. Ciuitates verò & Nobi-
litas, Patria vniuersa Germaniæ, quamdiu hæc erit,
Respublica, summi Imperatores, & sacratissimi Impe-
rij Proceres atq; Ordines, dignas, immortales, ac sem-
piternas

piternas non modo gratias agent, sed habebunt, refe-
rent, & honoribus vos ac laudibus immensis perpetuò
accumulabunt. **DEVS** autem Opt: Max: con-
ditor ac conseruator omnium, largitor ac dispensator
virtutum ac officiorum, vobis, pro prudenter, fortiter,
iustè ac piè administratis officijs, ac Magistratibus præ-
clarè gestis, proq; tot tantisq; laboribus exantlatis, æ-
ternis præmijs ornabit, & gaudijs sempiternis recrea-
bit, **Qui DEVS** æternus, verus, vnus & trinus,
solus, omnipotens, sapientissimus, fortiss: iustissimus ac
misericors, vnà cū filio Domino nostro **IESV** Chri-
sto victor Mundi & Diaboli, in Spiritus sancti vni-
tate viuit, regit & gubernat omnia seculis infinitis. Cui
(vt in eius, à quo cepimus mentione, quemadmodum par
est, finiatur oratio nostra) gratias sempiternas pro vi-
ctorijs datis agimus, quem laudamus & celebramus
oratione, cantu & Hymnis. A quo etiam summissis ani-
mis petimus, vt tranquillitatem & ocium, nobis & Rei-
publicæ, clementer deinceps velit conseruare, apertam
vim, bella intestina atq; externa, & occultas machina-
tiones ac seditiosa consilia, à Patria, à Germania, ab
Imperio vniuerso, à nobis omnibus, auertere: & cle-
menter in via religiosa & ab ipso patefactæ veritatis,
regere & conseruare, cum nos subditos, tum omnes legi-
timos Magistratus, infimos & summos, Nostrum in-
primis Illustrissimum Principem Electorem **AVGV-
STVM,**

STVM, Patriæ, Scholarumq; nostrarum benignis-
simum Parentem, cum Illustrissima Coniuge & liberis,
ac vniuersa Ducatus Saxonici familia: Et verò au-
gustissimum atque inuictissimum MAXIMILIA-
NUM Imperatorem, omnesq; amplissimi Romani
Imperij Proceres ac Ordines cum subditis vniuersis:
qui, (vt excellentissimi atq; sanctissimi Regis ac Pro-
phetae verba, optimus atq; suauissimus Paraphrastes &
Poëta, reddidit, quæ à me, quod vehementer arride-
rent, paulò aliter, & sic ad rem præsentem concinnata
sunt:)

Qui sceptrâ rerum temperat,
Ac regna terræ diuidit,
Qui regna fastu turgida
Frenat potenti dextera.
Qui bellicosa compulit
Parere nostris oppida,
Qui dirigit mortalium
Res, & salubri vinculo
Legum coërcet, lucido
E syderum prætorio.

D I X I.



DE OBITU PR. MAVRICII IL-
LUSTRISS. SAXONIAE DVCIS ELECTORIS,

ETC. HEROIS FORTISSIMI, NAENIA AN-
niuersaria, MICHAELIS BARTH
Annæbergenfis.

MAVRICII sacros canat annua nenia Manes:

Namq; dies redijt nigro carbone notata,
Qua dum pro Patria pugnat, pro pace suorum,
MAVRICIVS cecidit victor fortissimus Heros.
Vos mihi Pierides lugubria dicite Musæ
Carmina, & abiecta Cythara sis mæstus Apollo,
Hæc dum solenni peraguntur tristia more,
Dum funesta dies currit, dumq; atra recurrit.

MAVRICII sacros canat annua nenia Manes:

Heu quantus nobis circum præcordia mæror
Surgit, dum effigiem tanti spectamus inanem
Principis atq; Ducis, cui dudum in corpore robur,
Viuidaq; in forti regnabat pectore virtus.
Jam bonus Orator compressa silentia rumpat,
Et mihi diuinas laudes Herois, & amplas
MAVRICII pleno virtutes predicet ore.

MAVRICII sacros canat annua nenia Manes:

Quem sensere GETAE immanes, metuere remotum
Belligeri Thraces, timidi fugere, sed omnes
Dilexere boni, qui quantis maximus olim
Aeacides, tantis quassabat viribus hastam,
Qui spes Imperij dum vixit sola remansit
Auxiliumq;, potens lapsis succurrere rebus,
Et solari humiles, pressosq; leuare Tyrannis.

MAVRICII sacros canat annua nenia Manes:

Qui studia in tantum sumtu pronexit honesta,
Ut dubitem maiorne viro ex his gloria rebus
Parta sit, an maior belli stet laude triumphus,
Nec facile expediet quisquam: clarissimus armis
Et fuit ipse toga, Musarum fautor & auctor
Splendidus, & magni fuit inclyta gloria Martis,
Pectus & os diuo similis mentemq; manumq;.

MAVRICII

M AVRICII sacros canat annua nenia Manes :

*Cuius mortem etiam stupuit natura, priusq̄,
Sanguinea liquido cecidère ex aère gutta,
Atq̄, exauditi fremitus certantibus armis
Omnia consimiles, tentoria turbine rupta,
Et disiecta, suis cesserunt omnia fatis,
Fatis, quæ nullis quisquam hinc effugerit alis,
Quis subiecta manent, quæcunq̄, hic continet orbis.*

M AVRICII sacros canat annua nenia Manes :

*Quem vir, quem mulier, puer, & quem fleuit adultus,
Quo moriente suum amisit Germania tristis
Et decus & columen, cui dudum fidere sueta est,
Sive sinu in proprio cernebat surgere bella,
Sive etiam externis signis minitantibus hostis
Nostros ausus erat bellando inuadere fines,
Omnes hic subito prostravit & orbe fugavit.*


M AVRICII sacros canat annua nenia Manes :

*Atq̄, suum quoties complevit Cynthius orbem,
Herculei repetens feruentia signa Leonis,
Iste dies tibi sit semper Germania acerbis,
Semper honoratus, semper decorentur in ipso
Umbraeq̄, & tumulus, diuini Principis, acres
Et Patria integret luctus, memorentur & acta
Fortia, & in templis resonent præconia, ita ipsos*

M AVRICII sacros canat annua nenia Manes.



INSIGNIA DVCATVS ET SEPTEM-
VIRATVS SAXONICI.



EPIGRAMMA.

Quam benè cum Gladijs Rutacea iuncta corona est,
Enses bella notant, oia ferta notant.
Ensfiferi nouere Duces belliq; labores,
Aurata & qua pax digna sit arte coli.
Ensfiferi decreta gerunt pro CAESARE bella,
Ornat Victoris læta corona caput.


A L I V D.

Ensfifero fera turba Duci fera bella parabat,
Clamq; ferus serpens struxerat insidias.
Arripit ille suos Gladios Rutamq; , duobus
Auxilijs istis dispulit omne malum.
Hostibus aduersi Gladij sunt , Ruta uenenis,
Hostem Ensis strictus, Ruta uenena necat.
O Gladij æternum rutilent, & Ruta uirescat,
Nec ferrugo illos occupet , hanc nec hyems.

M. Barth.f.

IN PONTIUM DVORVM ET REPTVM
VLTATVS FAXONICI

70 2777 OA



ENIGRAMA

Quis bene cum Gladio Ruita sua iuncta conat
Hic bene potius est iuncta conat
Ruita conat Ruita bene iuncta conat
Angus & que per digna iuncta conat
Ruita conat Ruita bene iuncta conat
Omnis Vicitur iuncta conat conat
A L T V D
Ruita conat Ruita bene iuncta conat
Omnis conat Ruita bene iuncta conat
Angus ille Ruita conat Ruita conat
Angus ille Ruita conat Ruita conat
Hoffius adant Gladio Ruita conat
Hoffius adant Gladio Ruita conat
O Gladio conat Ruita conat & Ruita conat
Hoffius illos occupat, hinc occupat
M. Hoffius

AL




ULB Halle

3

004 833 481







h. 2. 2 (54)

Vc
2747

4

Oratio

HABITA LIPSIAE
IN SOLENNI CELEBRATIONE
ANNIVERSARIAE MEMORIAE
DICATAE ILLVSTRISSIMO ATQUE
fortiss: Heroi ac Principi MAURICIO Duci
Saxon: Electori, &c. HEINRICHI filio,
Illustrissimi Princ: Elect: Ducis Saxon:
AVGVSTI, fratri:

in qua

PARIA ILLVSTRISSIMORVM FRA-
trum merita in conseruata Patria ac Republica
demonstrantur ac pradicantur,

AVTORE

Michaële Barth
Annæbergensi.



LIPSIAE
IOHANNES RHAMBA
EXCVDEBAT

ANNO
M. D. LXVII.

No. 58.

